



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Canones Poenitentiae De septem peccatis capitalibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

## PRÆCEPTVM VIII.

Non falsum testimonium dices.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Bar. lib. 19.  
tit. de fals.  
test.  
Pœ. R. tit. 2.  
c. 13.  
Pœ. R. tit. 2.  
c. 12.

**Q**VI affirmarit verū, quod falsum est; pœnitentiam agat vt adulter; vt homicida, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit; pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo falsum crimen obijcit; pœnitentia afficitur vt falsus testis.

Bar. lib. 19.  
c. 117.  
Pœ. R. tit. 1.  
c. 26.  
Bar. lib. 10.  
c. 56.

Qui proximo peccatum imputarit, priusquam seorsum eum arguerit; primum illi satisfaciens, pœnitentiam agat tres dies.

Si quis cōtra proximū lingua lasciuus erit, triduana pœnitentia expiabitur.

Syn. Nag. c. 8  
Bar. lib. 10.  
c. 11.  
Idem ibid.  
c. 26.

Si quis murmurauerit, iudicio Sacerdotis pœnitentiam agat pro culpæ grauitate.

Si quis conuitium manifestum fratri intulerit, diuturna expiabitur pœnitentia pro modo peccati.

Ibidem 63.

Si quis facile detraxerit, falsumq; in hoc dixerit; pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Bar. lib. 19.  
Pœn. tit. 7.  
c. 14.

Qui falsitatem, fraudemve in ponderibus, & mensuris admiserit; pœnitens erit in pane & aqua dies viginti.

Falsarius, in pane & aqua pœnitentiā agat quandiu uiuit.

## PRÆCEPTVM IX.

Non concupisces rem proximi tui.

Canones pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

Pœ. Bed. c. 7

**R**EM alienā nefariē concupiscens, avarusq; pœnitēs erit annis tribus. Qui aliena furari concupiscit, furtum est: qui item aliena rapere cupit, rapina est: qui res ecclesiæ furari appetit, sacrilegium est: ideo cum nefariē con-

cupiscendo grauius peccet, vt peccati mortalis pœnitentiam agat Sacerdotis arbitrato.

Qui rem aliquam proximi pretiosam inuenire cupit, vt illā sibi retineat: mortale peccatum concipit, cuius pœnitentiam agat, vt supra dictum est de furto.

## PRÆCEPTVM X.

Non desiderabis vxorem proximi tui.

Canones Pœnitentiæ.

Si quis contra hoc præceptum aliquo modo peccarit.

**S**I quis concupiscit fornicari; si Episcopus, pœnitens erit annos septem: si presbyter, quinque: si diaconus, vel monachus, tres; e quibus vnū in pane & aqua: si clericus, aut laicus, annos duos.

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur; surgat, & cantet septem psalmos pœnitentiales: & dies triginta pœniteat.

Si clericus, aut laicus ex mala cogitatione, concupiscentiaq; semen effuderit; pœnitens erit dies septem.

## CANONES PœNITENTIÆ

De septem peccatis capitalibus.

**C**APITALIA peccata, quæ principalia etiam vocantur, vt pote e quibus omnia vitia principium habent sunt, superbia, vanagloria, auaritia, luxuria, inuidia, ira, gula, & accidia.

Pro capitali mortaliq; crimine pœnitentia septem annorum indicitur, nisi peccati grauitas, & personæ status feueriorem, diuturnioremque pœnitentiā requirat.

Pro capitali crimine pœnitentiā agat laicus annos quatuor, clericus quinque, subdiaconus sex, diaconus septem, presbyter decem, Episcopus duodecim.

Sed demonstratæ iam paulò autē sunt pœnitentiæ, quæ ex canonum disciplina constituuntur ferè pro peccatis capitalibus, quæ ex his septem capitalibus vitijs originem trahunt. Pro gula autem vitio sunt hi præcipui pœnitentiæ canones.

CANO-